

dat ueniam; sed peiores, qui talia uerbis
 Herculis inuadunt et de uirtute locuti 20
 clunem agitant. « Ego te ceuentem, Sexte, uerebor? »
 infamis Varillus ait, « quo deterior te? »
 Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus;
 quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
 Quis caelum terris non misceat et mare caelo, 25
 si fur displiceat Verri, homicida Miloni,
 Clodius accuset moechos, Catilina Cethegum,
 in tabulam Sullae si dicant discipuli tres?
 Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
 concubitu, qui tunc leges reuocabat amaras 30
 omnibus atque ipsis Veneri Martique timendas,
 cum tot abortiuis fecundam Iulia uuluam
 solueret et patruo similes effunderet offas.
 Nonne igitur iure ac merito uitia omnia fictos
 contemnunt Scauros et castigata remordent? 35

Non tulit ex illis toruum Laronia quendam
 clamantem totiens : « Vbi nunc, lex Iulia, dormis? »
 atque ita subridens : « Felicia tempora, quae te
 moribus opponunt. Habeat iam Roma pudorem,
 tertius e caelo cecidit Cato. Sed tamen unde 40
 haec emis, hirsuto spirant opobalsama collo
 quae tibi? Ne pudeat dominum monstrare tabernae.
 Quod si uexantur leges ac iura, citari
 ante omnes debet Scantinia; respice primum
 et scrutare uiros, faciunt qui plura; sed illos 45